Kudaki Matthiae: Quaestio theol. de habitu gratiae sanctificantis.

QVÆSTIO
THEOLOGICA,
DE
HABITV GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

Sub Præsidijs

Admodum Reuerendi Domini

D. ADAMI OPATOVII,
S. Theologiæ D. & Profess: Decani ad Ædes
S. ANNÆ, Præceptoris
colendissimi.

A

MATTHIA RVDZKI, S. Th.
Licentiato, in Alma Academia Cracouiensi
publicè ad disputandum

PROPOSITA.



Anno reparatæ salutis M, DC. XXXV.
Mense Martio, Die Hora

In Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ,

In Officina Francisci Cæsarij, Anno Domini 1635.



Quæ ſpectas ſinuoſi terga draconis in armis;
Orbis Sarmatici munera prima gerit.
Scilicet hîc ſemper prudentia peruigil: ô quam
Vertice Præſuleo Symbola digna tegi!

Illustriß: & Reuerendiß: Domino,

D. IOANNI WĘZYK

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia ARCHIEPISCOPO Gneſnenſi.

Legato Nato, Regni Primati, Primoq́;

PRINCIPI,

Domino ac Patrono clementiſsimo.



VM ad Diuinum Theologiæ ſtudium animum penitus addicerem, Illuſtriß: ac Reuerendiß: Domine, atq; in eo ſacratioris literaturæ decurſu, non paucos glorioſè ad palmam viderim contendentes; ne ipſe quaſi otioſus, tam celebrium operarum ſpectator forem, voluntate eorum, penes quos autoritas muneris iſtiusmodi indicendi, adij laborioſam & plenam ſollicitudinis diſceptationis Theologicæ prouinciam. Neq; verò neſcio quòd opibus ingenij, induſtriæ, celeritatis, hic locus ornandus ſit, quem & Maieſtas cæleſtis doctrinæ illuſtret, & authoritas peritiſſimorum eius ſcientiæ virorum, non parùm inſigniat. Sed fidentiore animo rem periculi plenam aggrediar, quo magis Tuo Illuſtriſſimo patrocinio confirmabor. Non reformido, ne quid ſtulta hæreſum temeritas his obloquatur, cuius Tu veteratoriam calliditatem, & ſapientia Tua deprehendis, & officij Tui perterres maieſtate. Ecce antiquiſſima, ac Illuſtriſſima multorum ſeculorum victorijs nobilitata Arma Tua, quæ non ſolùm me defenſum abundè, vt ſpero, dabunt; ſed ſi in periculum aliquod ingenij, exiſtimationis, vocari contingat, vel ſolo intuitu, vt ſuper-

ſtitioſa antiquitas fabuloſè quorundam arma vno ipſo attactu ſalutaria credidit, me ex graui formidine poterunt vindicare. Hoc ſperare iubet ea prudentia, quam ſymbolicè referunt, & ſibi vendicant Arma Tua: Idem prima ætas Tua, in hoc Sacro ſtudio exacta, & exercitata pollicetur: Fulcit non dubia ſpe ſacer hic Præſulei honoris apex, quo inter reliquos eius dignitatis religioſiſſimos, & vigilantiſſimos Sarmatiæ Hæroas ſupereminés, non minùs plurimis & maximis Tuis virtutibus, quàm ſummæ ſapientiæ debitus: Bene ominatur nobili triumpho, meam luctam decoram fore eminentiſſima hæc Tua vniuerſi Regni purpura, quâ decorus, prudentiâ vt grauiſſimus Senator, autoritate vt patriæ Pater, fidelitate vt Ciuis optimus, iſtis inquam virtutibus Tuis, rem, patriam, libertatem, religionem, quaſi humeris quibuſdam ſuſtines glorioſè. His ego tutus, non ſolùm domeſticorum explorandi mei gratia inſtitutas proluſiones ſum excepturus, ſed etiam infames, & iuratas nomini Chriſtiano hæreſum impetitiones, diuino præſidio euerſurus. Quidquid labor hinc, & aſſidua in eo ſtudio contentio ſit mihi datura, totum id Illuſtriſſ: nomini Tuo deuotum eſſe volo, libenſq́; in gremio ſacro repono. Non enim ignarus ſum, anne conuenientiùs & ſecuriùs Sacræ Theologiæ pignora in alicuius ſinu conſidant, quàm eius, quem Gentilitium decus eſſe voluit, labor & induſtria fecit, vtraq́; dignitas accepit ſapientem.

Illuſtriſs: & Reuerendiſs: Celſitud: Veſtræ

ex animo deuotiſſimus

MATTHIAS RVDZKI,
S. Theologiæ Licentiatus.

QVÆSTIO
THEOLOGICA.

Ex Prima Secundæ D. Thomæ, quæſt: 110. 112. 113. 114.

VTrum Sanctificantis gratiæ doctrina, cauſarum, Subiectiuæ, ſeu Materialis, Efficientis, Finalis, Formalis, ad eamq́; diſpoſitionis, diſquiſitione, & effectuum diductione, ſufficienter tota perficiatur, nec ne?

DE CAVSA MATERIALI ſeu Subiectiua.

CONCLVSIO I.

Gratiæ habitualis, homines ad diuini eſſe participationem eleuantis, propria cauſa ſubiectiua Materialis immediata, eſt animæ ſubſtantia, à qua in ſuo eſſe ex natura ſua dependet.

COROLLARIA.

1. *Ex quo pullulat recta doctrina, in productione gratiæ non esse distinguendas duas actiones, quarum altera det esse, altera inesse gratiæ.*

2. *Gratiam non produci per actionem creandi, sed simpliciter dici posse & debere, educi de potentia obedientiali animæ, seu subiecti cui immediatè insit.*

3. *Modus ille loquendi; Gratia non creatur, sed concreatur, vsu Angelici Doctoris comprobatus, si in latiori, & non genuino sensu vsurpetur, Creatio, prout dicit, non solùm ex nihilo, sed quamcunque productionem, sanè potest sustineri.*

4. *Cùm dicimus, Infunditur gratia, significamus conferri eam supra debitum & ordinem naturæ; ea quippe non ita præexistit in potentia animæ, vt in actum, virtute & adminiculo naturalis agentis, queat deduci.*

5. *Atque ita gratiâ in subiecto constituta, clarè habetur, eam, quando noxæ commissione corrumpitur, non per annihilationem esse amittere.*

DE CAVSA EFFICIENTE.

CONCLVSIO II.

Causam Physicam eductiuam Gratiæ de potentia obedientiali animæ, primam & principalem esse solum Deum, communis sensus approbat.

COROLLARIA.

1. Sacroſanctam humanitatem Chriſti Domini, eiuſdem gratiæ eductiuam, inſtrumentalem, coniunctam diuinitati cauſam eſſe, per rectam illationem ſequitur.

2. Sacrameuta verò eiuſdem gratiæ ſigna viſibilia, ex inſtitutione Chriſti ad producendam, tanquam inſtrumenta ſeparata interuenire.

3. Moralem tamen & meritoriam, Dominum ac Redemptorem noſtrum, totam ſibi cauſalitatem vendicare, indubitatum manet.

4. Hanc miniſteriales cauſæ, homines ſcilicet, & (quando Deo placet) Angeli, externas & inſtrumentales gratiæ producendæ cauſas applicantes, mediante præcipuè miniſterio verbi & Sacramentorum, executiuè complent.

5. Atq; hinc videre eſt, nullam efficientiam Phyſicam eò virium procedere poſſe, vt aliquorum habituum ſupernaturalium, per actus ſuos, poſſit cauſa exiſtere.

DE CAVSA FINALI.

CONCLVSIO III.

Sicut omnis creatura, ordinatione diuina, in ſuum finem tendit, ſic quoq; gratia omnium qualitatum ſupernaturalium præſtantiſsima, ad eundem referatur neceſſe eſt.

COROLLARIA.

1. *Non est igitur hic alius nisi gloria Dei, qui propter semetipsum omnia operatus est.*

2. *Non est nisi gloria Christi, per quem omnis sanctificatio abundè in nos deriuatur.*

3. *Non est nisi salus nostra, & vitæ perennis statio, ad quam per hæc dona gratiarum ordinamur.*

4. *Non igitur mortalis culpæ labe deformes, quâ tales, ad eum finem possidendum euehuntur.*

5. *Non quicunque fanatici & obstinati sectarij, solâ non imputatione peccati, in eumdem finem euolare queunt.*

DE DISPOSITIONE ad causam Formalem.

CONCLVSIO IV.

Habitus gratiæ sanctificantis vt inducatur, requirit in adultis peccatoribus de facto, tàm remotam, quàm proximam aliquam dispositionem præuiam, cum libertate factam, quæ voluntatem auersam à suo fine, in eundem tendere faciat.

COROLLARIA.

1. *Proinde dispositionem vltimò ad iustificationem habilitantem, non solùm meram conditionem, sed etiam in suo genere veram, ac per se causam moralem esse liquet.*

2. *Il-*

2. *Illum autem actum supernaturalem, quo proximè peccator disponitur ad infusionem gratiæ habitualis, dimanare effectiuè à gratia habituali, seu elici à potentia mediante habitu infuso, non mediante aliquo alio auxilio certiùs est; quamuis oppositum quoq; non omninò improbabiliter defendi possit.*

3. *Verùm ad hanc dispositionem actus Fidei veræ & supernaturalis, atq; adeò iustificantis, per modum dispositionis necessariæ, vtpote basis & inchoatio eorum, quæ in via iustificationis interueniunt, adulto præhabendus est.*

4. *Non solùm autem actus Fidei, sed etiam Timoris, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, atq; adeo propositum seruandi mandata Dei, per modum dispositionis certum est valere, ac etiam suo modo ad iustificationem impij prærequiri; etsi non eodem modo hæc omnia.*

5. *Quare, quamuis mole sua immanis sectariorum error blaterantium, sola fide gratiam acquiri, seu, vt ipsi malunt, apprehendi iustitiam, & remissionem peccatorum, hisce tamen impulsus, ruit efficatiùs & grauiùs.*

DE CAVSA FORMALI *quâ informante animam.*

CONCLVSIO V.

Etsi Christum per suam iustitiam esse causam meritoriam, exemplarem, & finalem nostræ iustificationis vltrò concedamus; attamen hominem non per solam

 reatus

reatus remiſsionem, aut imputationem extrinſecam iuſtitiæ Mediatoris noſtri, quamuis toto conatu prauitas hæreticorum relactetur, ſed per veram, realem, & intrinſecam iuſtitiam, vnicuiq; propriam, inhærentem, Fide Magiſtrâ, iuſtificari defendimus.

COROLLARIA.

1. *Hæc iuſtificatio, quamuis pro principali dicat actionem ſeu mutationem poſitiuam; attamen iucludit ſimul remiſſionem peccati, quod negotium vtrumq́;, moraliter & ſubordinatione quadam vna perficit mutatio.*

2. *Quinario potiſſimum numero effectus formales gratiæ iuſtificantis comprehenduntur, tantæ multitudinis, ex peccati mortalis habitualis effectibus formalibus, eidem inſeparabiliter annexis, proportione deſumptâ; Sunt autem hi: Facit iuſtum; delet maculam peccati; reddit amicum & filium Dei; ius confert ad vitam; ſanitatem naturæ reſtaurat.*

3 *In hac igitur oppoſitione gratiæ & peccati, etiamſi abſolutas virtutis diuinæ expendamus vires, habitum gratiæ, ſiue ſecundum ſe ſpectatum, ſiue cum charitate, & alijs habitibus ſupernaturalibus, ipſi concomitanter adhærentibus, cum peccato mortali, tàm habituali, quàm actuali, vt ſic, ſubſiſtere non poſſe aſſerimus.*

4. *Virtute tamen abſoluta, poſſe Deum per ſolam infuſionem gratiæ habitualis, ſine vllo concurſu actus pec-*

catoris, remittere peccatum mortale, habituale, inficias non eo, mente S. Doct. contentus à Caietano explicata.

5. *At repugnare, vt Deus in homine eleuato ad statum gratiæ, remittat perfectè peccatum, sine infusione gratiæ habitualis, aut alterius doni, benè defenditur.*

DE CAVSA FORMALI
Quâ informante actus animæ.

CONCLVSIO VI.

Posse homines verè, propriè & simpliciter, per gratiam operando, tàm merito ex condigno, quàm congruo apud Deum mereri, iuxta sensum & phrasim, tùm S. Scripturæ, tùm Concilij Tridentini & Patrum, Caluino arroganti supercilio ea omnia despiciente, Catholicè dicitur.

COROLLARIA.

1. *Quare sub meritum de condigno hominis iustificati cadere primam gloriam, Thomisticæ doctrinæ consona voce pronunciabis.*

2. *Item iustum per actus à gratia procedentes, de condigno mereri augmentum gratiæ, etiam quolibet actu meritorio remisso, sine hæsitatione à fortiori inferes.*

3. *At primam gratiam, etiam per amorem Dei super omnia, vel contritionem, quâ se vltimùm ad gratiam*

habi-

habitualem disponit, homini non venire sub meritum dices, si de sensu communi loqui volueris.

4. Proinde etiam omnia auxilia sufficientia, vsque ad iustificationem formalem, non cadere sub meritum condigni, viâ plana deduces.

5. Tandem omnibus votis expetendam perseuerantiam, quamuis iam iustificationem supponat, per orationes, & aliorum bonorum operum ad hunc finem ordinatorum frequentationem, solùm de congruo homo obtinere potest, idque non infallibiliter, cùm hoc meritum certa promissione Dei non nitatur.

Laus Deo, Virginique;
MARIÆ.

Sub felicissimis auspicijs Perillustris & Magnifici Domini, D. IACOBI NAYMANOVICZ, Iuris V. D. & Professoris, Canonici Cracouiensis, Archidiaconi Pilecensis, Academiæ Cracouiensis

R E C T O R I S

vigilantissimi.